98)

S. V. Vir Magnifice, & nobilissime: fateor ingenuè, me limites Commodati transilijsse; fui enim occupatus alijs arduis, & quidem celerem expeditionem requirentibus negotijs, ita, ut tuas doctissimas, & æternâ marmorâ dignissimas notas ad Recessus Imperiales perlegere non potuerim. Quæso, ne invideas adhuc mihi aureum hunc libellum per aliquot dies: His præterlapsis eundem bonâ fide per amanuensem meum restituam. Quod si obtinuero, præstabo me ad gratiam referendam non modio, sed horreo toto, et Pici non ita aurum suum custodiunt, ut ego tuos custodiam recessus. Operæ meæ quod tibi placeant, mihi mirum in modum placet, & à laudatis laudari cupio. Approbationem tuam promissam avidè expecto, & si non transmiseris, Angeli Politiani illud opponam: Non præstas quod pollicitus: Conqueror si oblitus, magis etiam si non oblitus. Oblitum fuisse vix amici est, non præstare cum recorderis prorsus inimici. Negotium Bibliothecæ tuæ mihi omni abjectâ pigritiâ commendatum habebo, & scripsi hac de re Proprincipi Luneburgiaco, & responsorias cottidiè expecto.

1625

oblatum munus pro labore non recuso, & erit ornament[um]

Bibliothecæ meæ. Vale & me ama, pene dixerim [...]

ne, Certe enim ingenio iam effecisti, ut mortalita[s]

tua finiri possit, non vita. Dabam celeri cala[mo]

e paracletino meo, Mindæ 21. Januarij

T. Magnificentiæ

Observantissimus

Studiosissimus &c.

Antonius Bullæus

JUD.

Magnifico, & nobilissimo Viro, Domino Melchiori
Goldasto Haiminsfeldio, ICto, omnis politioris
literaturae phoenici, & Consiliario Holsato
Schauwenburgico &c. Dno ac amico meo colendo &c.

Francoforti